

Pa 111

Zur



Herbstprüfung

in

dem **Königlichen Gymnasium**

L y k.

1 8 3 7.



Königsberg.

Gedruckt bei E. J. Dalkowski.

Die Prüfung- und Schulnachrichten sind der Asiatischen Cholera wegen ausgefallen. Letztere werden in dem nächsten Programme nachgeholt werden.

KSIĄZNICA MIEJSKA
IM. KOPEŁNIKA
W TORUNIU

STOWISZCZYSTWO
Chorn

23 1721

Sophoclis et Euripidis Electrarum post explicatas Aeschyli *Χοηφόρους* con- tentio, praefixa brevi de tragoediae veteris natura commentatione.

Scrpsit Dr. Jacobi, gymnasii regii Lyccensis quintus praeceptor ordinarius.

Quamvis non sim nescius, quid periculi in hoc tanto tamque laeto antiqua eruditionis flore susceperim, si nullius nominis homo, quibus componendis otium contrivi, ea in vulgus edere ausus essem, id certe, si nihil scripsissem, quod lectione sua viri docti dignarentur, me effecturum speravi, ut amantes studiorum graecorum iuvenes ad naturam veteris tragoediae paulo accuratius cognoscendam impellerem: quod consilium a dissertatione, scholae programmati praefigenda, ne alienum quidem fuerit. Sed ne multus in praefando ante operis primordia dicar, quid voluerim, explicabo. Comparare animus est Sophoclis et Euripidis Electras, ratione ducta Aeschyli *Χοηφόρων*, sed ita, ut prius, quasi iaciendi contemplationis fundamenti causa, paucis de tragoediae veteris natura disputem.

In quam cogitationem si quis incidit in legendis Tragicorum operibus paulum versatus, quid mirum? An iucundius quidquam cogitari potest, quam, cum e naufragio antiquitatis graecae, non modo praeteritis, verum etiam futuris seculis flebili, tam pauca eaque crudeliter detruncata monumenta, diu fluctibus iactata paeneque submersa tempestatibus, communi interitui superstitia ad nos tamquam transnatarint, praestantissimos poetas in eodem argumento ad temporis sui amussim adornando vim ingeniorum expromentes persequi? Quid, quod ne unam quidem aut alteram harum fabularum, si recte de pretio existimare velimus, separatim legere licet, nisi forte, quae Godofredus Hermannus, quem laude satis onustum novo praeconio, gravarendo in praefatione ad Electrae Sophocleae editionem scripta monuit, aspernari nobili quadam despicientia praestat.

Sed priusquam ad considerandas trium poëtarum fabulas aggrediar, perstringere tragoediae naturam, Aristotelem maxime secutus, paucis quidem, sed quanta maxima potero diligentia, periclitabor. Adhibui Aristotelis editionem Buhlianam, quae cum subscriptam latinis verbis interpretationem habeat, vel properantibus locos a me allatos accuratius perlustrandam copia est. Ut vero, quae recentiores de hoc poëseos genere animadverterunt, neglexerim, non ignorantia adductus sum, sed tum, quod plerumque verbis magis quam sententia discrepant ab Aristotele, ceteroqui medulla antiquitatis nutrito, tum, quod non artem, numeris suis absolutam, tenuis grandia, proponere, sed extremas modo lineas eius ducere volui.

De tragoediae veteris natura commentatio.

Poësis ipsa genus quoddam imitationis est aut narrando aut agendo. Arist. de art. poët. β', 1. Factorum imitatio communi nomini δράμα nuncupatur δ', 2. Cum homines, a quibus res geruntur, aut boni aut mali moribus sint, ea δράματος species, quae meliorum, quam nos, imitatione continetur, τραγωδία vocatur γ', 5. Sed varias demum vicissitudines experitam pervenisse ad absolutam, in qua acquievit, formam, constat. Etenim ex choris, cantu et saltatione res ludicras agentibus, succrescente paulatim sermonis principatu, emergens, grandi illi ac superanti vitae communis consuetudinem severitati se addixit. Ex illo tempore pro tetrametro trochaico, saltatorio versu, aptissimum confabulationi trimetrum iambicum recepit. ε', 12, 13, 14, 15.

Perfectam vero tragoediam his cancellis ζ', 2. Aristoteles includit: Ἔστιν οὖν τραγωδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἐκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις· δρώντων, καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας· δι' ἐλέου καὶ φόβου περαινουσα τὴν τῶν τοιοῦτων παθημάτων κάθαρσιν. Satis quidem dilucide, nisi quem verba „ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἐκάστῳ τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις“ offendunt. De orationis suavitate deque apto diversis partibus metro intelligendum credo. Μέγεθος temporis spatium significat. Ceterum sex partibus tragoedia continetur, ὄψει, μελοποιΐα, λέξει, μῦθῳ, διανοίᾳ, ἤθεσιν. Quid priores tres sibi velint, sponte intelligitur, ut explicatione non egeat; μῦθος (fabula) facto-

rum coniunctio est, *διάνοια*, qua, quid nobis videatur, *ἦθος* denique, quo quid petamus aut fugiamus, manifestum fit. ζ', 4, 5, 6, 7.

Quarum sex partium gravissima *μῦθος* est, utpote quo tragoedia, ut imitatio quaedam vitae, potissimum nitatur. ζ', 11. Is vero ita constituatur oportet, ut verisimilis sit, ut totus inque se rotundus, cuius si particula quaedam aut transponitur, aut onmittitur, cuncta corruant. θ', 4. *ιέ'*, 2. Hor. Ep. ad Pis. v. 152. Haec *οἰκονομία* est, cuius cum multis paulo negligentior Euripides fuit, ceterum *τραγικώτατος*. Is enim, ne aliorum, quae adhibuit, auxiliorum meminerim, tragoediae granditate interdum indignorum, eo plerumque animos ad misericordiam et dolorem flexit, quod fabulas, a rebus prosperis exorsas, tristi concluderet exitu. *ιδ'*, 7. Minime vero gentium *ὑψει*, necessaria licet parte, fulta fabula sit, que perfectae laudem affectet velitque reponi, ne poëtae minor ars quam *σκενοποιῶν* fuisse dicatur. ζ', 22. De aliis quinque partibus fusius disserere supersedeo, Aristotelis librum ut evolvant, plurium cupidos rogans.

Cum igitur metum et commiserationem, ut ante dictum est, concitare tragoedia velit, terribili quodam facinore id effectura, neque egregios homines nec improbos ad infortunium destinat, sed qui medii eorum sint; illi quippe indigni sunt, qui miseriis exercentur, his si quid acciderit, laetamur. Eum itaque legit, qui nec virtute excellat, nec improbitate in aspera incurrat, sed perperam quodam facto nobilitate florentium. *ιδ'*, 2, 3. Personis etiam chorus adnumeretur oportet, quem omnium *δράματος* generum quasi fontem quendam, unde rivulis diversis promanarent, exstitisse, compertum habemus. *ιδ'*, 9. Cuius officium luculenter expressit Horatius Ep. ad Pis. v. 193 sqq.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amicis,
Et regat iratos et amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Perraro poëtas ipsos fabulas commentos esse videmus, quamquam licitum iis erat. Verum specie veritatis vehementius eos, qui audirent, abrepturi, tradita antiquitus nobilium familiarum mala, quae aut passae essent, aut perpetrassent, tractare solebant, quorum constans fama perhiberetur, ea non mutantes, reliqua suo arbitratu affingentes. *ι'*, 7. *ιε'*, 10, 11. Namque mores hominum conformaturis, non historiarum ritu scriptorum, res, ut gestae, sed ut gerendae essent, *τραγωδοδιδασκάλοις* proponere licuisse, neminem latebit. *ι'*, 2.

Ferax vero animi commotionum argumentum est, cognatorum in cognatos horribilia facta oculis subiiciens. Neque tamen qui sciens, ut Medea, crudele aliquid committit, eius nos aequae miseret, atque Oedipi, qui insciens patrem confodit. *ιε'*, 9, 12, 13.

Quod consilium cum sequerentur, non miramur, si, ut pictorum mos est, in maxima similitudine pulchriores hominum vultus ac figuras reddere, ita poëtae inhaerentes hominum animis, quos inducunt, maculas leni manu abstergere, scelestos turpitudinis nota liberare assolent. *ις'*, 10. Ut vero personas fingebant, mores constare sibi necesse erat. *ις'*, 6. Hor. Ep. ad Pis. v. 119 sqq.

Non minimi vero ad commiserationem et metum momenti *πάθος* est, factum, ex quo aut mors aut gravis dolus nascitur, velut caedes, vulnera, lamentationes *ιβ'*, 10. Talibus modum adhibendum esse, praesertim iis, quae horribilia visu sint, ultro patet, quamvis, quaecunque ad actionem pertinent, ita poni ob oculos spectantium conveniat, ut mediam in rem rapiantur. *ιη'*, 1.

Quae ut eos firmiter teneat opinio, unius solis vicissitudine continebitur optime tragoedia *ς'*, 7, quod temporis spatium transeundo, si omnia aut secundum verisimilitudinem aut necessitate fiant, in prosperam fortunam ex adversa, vel ex prospera in adversam sufficit. *η'*, 9.

His disputatis sequitur, ut de *δέσει* (*πλοκή*) et *λύσει* (de nodo, deque nodi solutione) dicamus. Pars fabulae ab eo loco, quo ad fortunam vel infortunium declinatur, usque ad finem *λύσις* est; quod antecedit, et si quae prius facta narrantur, *δέσις* complectitur. Ille vero locus *μετάβασις* est. *ιθ'*, 1, 2.

Quod si fabula nullo per rem novam intervallo ad *μετάβασις* defluit, *ἁπλή* (simplex), sin minus, *πεπλεγμένη* (composita) vocatur. Simplex autem

vel ἀναγνωρίσει vel περιπέτεια vel utraque simul esse fabula desinit. α', 2, 3. Fit autem περιπέτεια, si contraria iis, quae geruntur, eveniunt, velut si quis ad mortem ab altero ductus hunc interficiat; ἀναγνώρισις est ex ignorantia in cognitionem mutatio, praestantissima quidem illa, si rerum continuatione, non magnopere placens, si signis efficitur. ιζ', 1, 9. Optimae tragoediae existimantur eae, quae cum ἀναγνωρίσει περιπέτειαν coniunctam habeant. ιβ', 2, 3, 4.

Verum aliquando accidit, ut, cum ne haec quidem ad λύσιν suppetant, ad deum ex machina, quem aiunt, poëtae confugerint, non probabilis ratio, si fabulae vitiosa constitutio in causa est; ferenda, si, quae cognitu necessaria sunt, non tamen sciri ab hominibus possunt, a deo nuntiantur. ιζ', 9.

His pro viribus explicatis, non ea ratione, ut quae Aristoteles reliquit, aut latine tantum interpretatus sim, aut omnia et eodem ordine memorarim, sed ut in succum et sanguinem, ut aiunt, convertere studerem, ad Aeschyli fabulam Χοηφόρους transibo, quem quin Sophocles et Euripides imitati sint, neminem esse puto, qui dubitet.

Aeschyli Χοηφόρων explicatio.

Totius fabulae summa est Orestis ad virile robur adulti reditus, suppliciumque ab Aegistho matreque Clytaemnestra, patris percussoribus, iussu sumptum Apollinis. Personae sunt: Orestes, Pylades, servus (nam θεράπων et ἄγγελος, ut ante fabulam legi solet, non diversi sunt), Clytaemnestra, Electra, nutrix, chorus mulierum argivarum.

Jam actionis ipsius decursum explicemus. Orestes, Pylade comitatus, ubi ad tumulum Agamemnonis se contulit, de se, quae scitu necessaria auditoribus sunt, praedicat. Brevi temporis spatio interiecto ab altera parte regiae dignitatis virgo procedit, inferias apportans, sequente mulierum argivarum choro. Orestes, Electram ut esse credat, facili coniectura adductus, a longinquo, quid acturae sint, cum Pylade explorat.

Visu nocturno territam has Agamemnoni inferias misisse Clytaemnestram, chorus aperit, cunctas omnium terrae puteorum lymphas ad manus interfectoris purgandas, ad animi sordes abluendas, non sufficere, immemorem.

Dum haec mulieres canunt, ad sepulcrum aggressa, an fundat sacros rivos, haesitans Electra, a choro iubetur, sed ita, ut sibi mulieribusque et absenti Oresti deorum fidem imploret, Aegistho ac Clytaemnestrae vindictam.

Matri Diras imprecari verita, cum paulisper cessaverit, deorum opem invocat Electra oratque maxime, ut necem Agamemnonis ultum veniat Orestes, quod optatum suis precibus chorus adiuvat.

Interea, defixis in rogam oculis, cincinum ipsius comae colore similem conspicata, ut donum a fratre profectum credat, vestigiis insuper inducit, quae ipsa solo possit impressisse. Licet non amplius dubitet, quin in vicinia versetur Orestes, tamen neque progredientem repente ex transverso agnoscit, nec, qui sit, aperienti, fidem habet, donec cincinum eiusdem crinis in capite deesse videt, vestemque suis manibus textam conspiciat, qua indutum ex Agamemnonis caede fratrem infantem eripuerat.

Chorus, ne laetitia efferantur, admonet, Orestes non domestico tantum dolore et egestate, sed trucibus Apollinis minis se vindicem percussoribus immissum demonstrat.

Quibus auditis cum vicissim chorus, Electra, Orestes, ut Parcae pro iuris modulo litem dirimant, ut rex necatus audiat, ut Inferi auxilio sint ulturo, quamvis non filii tantum, sed et mulieris a matris supplicio abhorreant, obsecrarunt, Orestes, qua de causa Clytaemnestra invisi proditique mariti manes sacrificio expiandi consilium ceperit, sciscitatus, cognita de angue narratione, quem peperisse in somnis sibi visa esset, fortior et ad vindictam pronior redditur.

Ut nubium fenebras, quae caeruleam coeli serenitatem mortalium oculis tristi invidet involuero, solis radii omnia collustrantis rumpunt, ruptasque dissipant, ita velut divini numinis afflatu caligine, qua mentem modo obcaecatam sensit, discussa, choro, quid fieri iubeat, quaerenti, nulla anxius trepidatione, animum esse, respondet, adeuntem cum Pylade, hospitem Phocensium nomine, mucrone Aegisthum transverberare.

Dum illi, aedes pulsatum abeunt, chorus, Thestii filia Scyllaque memoratis, quanta scelerum turpitudine intemperans libido contaminare mulieres valeat, postquam deploravit, Clytaemnestram, ultione petitam, flebilibus modis miseratur.

Aperto ostio exiens regina narratione Orestis, quam simulatis querimoniis Electra callide prosequitur, facile se circumveniri passa, ubi hospi-

tes in penetralia domus intromittendos curavit, Aegisthum, ut lactum nuncium et ipse auribus imbibat, accessitum, Gilissam nutricem adlegat.

Inter eundem ploratu cuncta complentem chorus moratur, rogatque, ne, quod a Clytaemnestra imperatum erat, regem corporis custodibus stipatum venire iubeat, nam magnam esse fortunae volubilitatem, mirosque rerum nonnunquam exitus.

Vix haec Aegistho allata sunt, cum in eam aedium partem, qua hospites habitant, citato gressu convolat, ne temporis particulam sinat praeterlabi, quin animum diurno metu fluctuantem suavia auditu Phocensium mandata placent ac componat. Neque spes, edaces animi curas levatum iri, eum fefellit, quippe cuius clamor obruncati statim ex aedibus auditur.

Dum ad servum audiendum Clytaemnestra e cubiculo prodit, ab altera parte cruentis manibus Orestes adest, quem matris aspectu expavescentem deque consilii inchoati pietate dubitantem, Pylades, ut reminiscatur Apollinis iussorum, monendo, erigit et ad perpetrandam necem instigat. Frustra igitur matris precibus habitis, ut introeat, iuxta Aegysthi fanus moritura, duro animo imperat.

Ad chorum iustitiae quantumvis seram victoriam grato carmine collaudantem, reversus, cum Clytaemnestrae exitum enarret, tantum abest, ut iusti facti conscientia dei que numen eum consoletur, ut captus furore sensim crescenti ad fanum Apollinis fugaci pede feratur, torva Furiarum ora, quae inhiare sibi credit, effugiturus.

Cuius fabulae inventio, quam dicunt, quam simplex sit, manifesto patet.

Primas partes Orestes agit. Is non patris tantum occisi amore, sed et Apollinis iussu ad ultionem impulsus, quomodo munus sibi iniunctum perpetret, incertus, advenit, Aegisthi interimendi cupiditate flagrans, a matris supplicio, ut par est, abhorrens, ut, cum eo perventum sit, Pyladis demum admonitio, truces Apollinis minas memorantis, ad factum naturae repugnans percellere eum possit. Si confecto opere, cum iuste se fecisse demonstraret, tamen furore concitatur, nonne egregium animi nobilis hoc documentum est? Deo obsecundavit, non ulciscendi studio supra naturae modum efferato animo, ut qui matri, vitae suae fonti, pepercisset! Hanc piam iuvenis impietatem, nonne miserarentur Argivi oportebat, nonne iustitiam deorum admirarentur, mariti interfetricem a filio punitam videntes?

Nec Clytaemnestra ipsa, quamvis gravis sceleris polluta sordibus, tam turpis inducitur. Quamquam, metu vindictae imminens, filium occubuisse haud invita audit, non tamen potest, quin vero luctu praematuram iuvenis mortem doleat. Neque etiam Electram aut prius male tractarat, aut querelas eius, fictas quidem illas, acerbo modo interpellat, securitatis fiducia superbiens.

Electra vero, teneri ut corporis sic animi virgine, quid suavius fingi poterat? Toto pectore dolet patris necem, miseratur potius quam condemnat matrem, odit Aegisthum, turpem moechum omnique culpa proximum, miti desiderio fratris patria eieci tenetur! Quae mox ex summa tristitia in hilaritatem mutatio, paulatim assurgens, primo fratrem carissimum vivere, tum adesse comperto, tandem ipso prodeunte seque sororis complexui dedente! Cupit quidem, ut scelus non inultum maneat, non tamen ipsa tantum a virginitate desciscit, ut ipsa ultionem meditetur. Ne societatem quidem cruenti operis petit, praeterquam quod arcana coniuratorum consilia tacet, lacrymasque ad matrem fingit decipiendam.

De reliquis personis vix est, quod moneam; chorus, licet canticis satis magnam fabulae partem, ut plerumque in Aeschyleis, occupet, munere suo prorsus, ut breviter Aristoteles, fusius docet Horatius, quorum de arte poetica subactum iudicium hodie normae instar veneramur, fungitur, personae vices administrans.

Argumentum ipsum condendae tragoediae opportunissimum videri, nemo facile reperitur, qui ambigat. Etenim si vera sunt, quae, ut huius generis naturam adumbret, Aristoteles disseruit, quid est, quod in hoc opus Aeschyleum cadere non arbitremur. An, quod principium et fons tragoediae est, ad commiserationem et metum non commovebimur? Adde, quod ne a veri similitudine quidem abhorret fabula, cuius quidem legis sponte prognatae, quoniam imitatio quaedam vitae tragoedia est, vincula aut relaxata saepe numero aut prorsus rupta ac repudiata propter rerum novarum grandiumque cupidinem videmus.

Etiam personarum ea conditio est, quam Aristoteles postulat, omniaque sibi conveniant, non mores tantum hominibus, sed quae fiunt, artissime cohaerere seque excipere animadvertimus, ut nodus, quem aiunt, nectatur solvaturque, non arbitrato poetae, sed rerum gestarum quadam serie naturali. Nullo, ut ad *περιπέτειαν* perveniatur, artificio Aeschylus utitur,

quippe quae ἀναγχοῖσι ultro efficitur, ceteris de composito ante actis. Hic pro tristitia gaudium, illic nex violenta pro dominationis et incesti amoris fructu, per scelus parato.

Egregiae vero laudi vertendum Aeschylo est, quod e personis, quas in scenam inducit, non modo Orestem Electramque et quae a iustitiae partibus stant aliae, moribus fingit quam praestantissimos, verum etiam Clytaemnestram et Aegisthum non, tanquam odio et contentu oppressurus, nimia turpitudinis mole obruit.

Haec omnia animo complectentibus nobis, miramque totius operis simplicitatem intuentibus, nonne velut extremis lineis ingentem campum, in quo arte ac studio cultiorum ingenia exsultarent, circumsepsisse poëta, nemini divite vena secundus, videbitur?

Qui, si in aliis operibus Musarum afflatu conditis, in hoc monumento, rem gestam personasque rem gerentes, sine furo quandam mollioris artis disciplinam redolenti, proposuisse satis habuit, granditate et argumenti et dictionis eorum, qui audirent, animos ad virtutem percellendi, quam lenociniis verborum, numerose cadentium, demulcendi, et terribili nexu rerum ad nimiam expectationem erectos improvisa nodi solutione relaxandi studiosior.

Verum haec de Aeschylo hactenus. Sequitur, ut, quomodo Sophocles et Euripides in eiusdem argumenti tractatione versati sint, inquiramus, illud vix adolescentem mediocriter antiquitatis gnarum latere rati, nulli unquam τῶν τραγῳδοδιδασκάλων a quoquam crimini verti solitum, si alius poëtae opus minus politum, quasi incude refictum, in scenam revocaret. Quod si ante ceteros Aeschylo accidit, cum propter ubertatem et rerum et sensorum factum credo, tum, ni fallor, liberali nobilique consilio prohibendi, quominus tanti hominis memoriae, quae aetatis paulo delicatioris mollities erat, oblivio immerita offunderetur. Itaque si ad Aeschyli fabulam retractandam Sophocles aut Euripides, uterque in suo genere insignis poëta, se applicaret, nemo mirabitur: sed quod post alterum alter eiusdem rei tentande impetum cepit, ut post Sophoclem Euripides, ea, nisi iustae vituperationis causae instigarent, audacia certe fuit.

Vituperandine ansam Electra sua Sophocles praeberit necne, et correctane sit Euripidis opera, scire cupientibus, quid antiquius erit, quam

ntriusque fabulae cognominis actionem cognoscere? A Sophoclis igitur Electra principium sit.

Sophoclis Electrae explicatio.

Prologum agit paedagogus Agamemnonis. Is Oresti, quem Electrae iussu e caede Agamemnonis ereptum Phocensis hospitis fidei tradiderat, postquam robore florens iuvenili cum iteratis sororis admonitionibus, tum suo ipsius impetu commotus, comitante Pylade amicissimo, qui mutam personam ad fabulae usque exitum agit, in patriam revertit, Argos quaeque in vicinia urbis oculis patent, ostendit, celeriterque, quid facto opus sit, prospiciendum admonet. Orationem paedagogi, quem optime de Agamemnonis sobole promeritum iustis laudibus cumulat, ita excipit Orestes, ut, quid periculi dei Pythii iussa sibi iniunxerint, explanet, audentemque ne aut consilio aut opera deficiant, exposcat. Quo facto ita inter eos convenit, ut servus, qui quominus a quoquam agnoscat, interiectum annorum spatium prohibet, simulans, se a Phanoteo Phocensi, antiqui iure hospitio istis iuncto, Orestis ludis Pythicis mortui nuncium ut afferat, missum esse, quae in aedibus regis agantur, exploret; tum iuvenes pio inferiarum rore super Agamemnonis tumulum sparso, vas aeneum, quasi cineres defuncti continens Orestis, apportent. Haec deliberantium ad aures subito Electrae, absente Aegistho ex aedibus egressae, servili sordidae squalore, lamentationes feruntur, quibus ne a iussis dei exsequendis se retardari patiantur, providus futuri senex Orestem commonefacit.

Sola ab initio, flebili luscinae voce, de scelesta Agamemnonis nece queritur, ultrices ut veniant Furiae, frater tandem ut veniat ultor, miseris modis flagitans, dum chorus virginum argivarum solatio advenit. Ne nimium se dedat moerori, neve odii interfectorum ostentatione sibi ipsa malum pariat, sororum potius imitetur modestiam, adventum fratris placide opperiens, suadentibus, postquam vitam non sibi vitalem esse, nisi patrem mortuum deflere liceat, respondit, virilem odiique tenacem virginis animum flectere ad patientiam mulieres desistunt.

Illam vero acerbe dictorum poenitet, ut commotioni animi temperet, irae stimulos reprimens, utque fluvius, quem praecipitantes de montium iugo

nives super ripas aluere, paulatim decrescens in alveum recumbit, lentoque cursu lymphas mari advolvit: ita virginem ab asperitate doloris adlene de infortunio suo cum amicis colloquium delabentem videmus. Tam miti dehinc querela utitur, ut, cum de insolenti arrogantia et crudelitate Clytaemnestrae Aegisthique mulieres edoceat, non sine idonea causa vehementi odio eam flagrare neminem lateat. Insignem hoc loco poëtae et artem et venustatem, arcana Electrae sensa quasi e pectore depromentis, ut ex miro initium cum asperis certamine tenerae tandem virginis iucunda castaque emergat imago!

Quis tam rudis efferatique animi est, quin molli luscinae querela vitae dedecus deflenti misericordiae impotens, illacrymetur? quin deos ipsos, ut defendant immerentem, descendere in terras, scelestosque numine suo comminuere iubeat, fata cursum nec addere nec morari hominum arbitrio oblitus?

Verum dulce querenti Chrysothemis, missa a matre, quam somnia terruerunt, cum inferiis ad placandos Agamemnonis manes, supervenit, sororemque, ne vanis querimoniis matrem et Aegisthum, iam dura vincula meditantem, ad saevitiam concitet, hortata, prout comprimatur odio turgidam, nova laetaque spe accendit, e nocturnis Clytaemnestrae visis affulgenti. Chrysothemis, postquam non turpibus reginae inferiis, sed ipsarum donis honoratum iri tumulum patris promisit, illuc proficiscitur, choro supplicium percussoribus inhians regiaeque stirpis calamitates, flagitio Pelopis contractas, canente.

Jam exeunte ex aedibus Clytaemnestra, disceptatio inter matrem filiamque exoritur, qua nihil ad utriusque mores notandos vel verius vel gravius excogitari poterat. Ista quidem audaciam simulat, ut, quantopere angatur animi, celet. Quod ubi parum successit, Electram increpat, quod Aegisthi tantum metu, non matris reverentia, se coerceri patiat. Mox eo deflectit, ut iure caesum esse Agamemnonem dicat, copiam filiae faciens, quid de facinore illo sentiat, dicendi. Quae quidem parumper verecundata, speciosam commissi sceleris defensionem, absterse fuco, ita redarguit, nihil ut excusationis reliquum fiat. Criminantibus inter se, paedagogus advenit, falsum de Oreste nuncium afferens. Puellam se interisse clamitantem, non curare, remque, ut gesta sit, copiosius enarrare,

servus iubetur, cunctisque, se vera exprompsisse, ne in levissimis quidem rebus a veritatis specie aberrando, persuadet. Ingenti exsultans laetitia, quod tandem metu liberae, fractis Electrae cervibus, vivere sibi liceat, Clytaemnestra in domum se recipit, dum luctui foris Electrae indulget. Interim redit Chrysothemis, adesse Orestem nuntians. Unde enim inferias in tumulo fusas, unde flavae cincinnum comae esse? Sed quanta pro gaudio moestitia mortem fratris edoctae! Electra non dubitans, quin tanto fortunae ludibrio ad audacissima quaeque pavens puella compelli queat, ut suis manibus Aegisthum interfecturae opem ferat, poscit. Frustra! Etenim immota futurae laudis illecebris, quam parum virgines decere putat, in aedes revertitur. Illa de cruenti operis cogitatione non desistit, ignaviam Chrysothemidis probris perstringens, choro constantem vel cum vitae periculo pietatem laudibus extollente, cum subito omnium oculos in se convertunt Orestes et Pylades, conditos urna cineres se apportare simulantes.

Cum difficile sit, lacrymis temperare, ingentes hoc adspectu flebilesque Electrae lamentationes, mira naturae veritate expressos, legentem: quo tandem misericordiae affectu audientes in theatro concitados esse putabimus? Nam aliud est legere, aliud aurium oculorumque sensu demulceri!

At quanta mox laetitia Electrae, cum Orestes, comperto, mulieres, quas adstantes videt, amicas esse, qui sit, aperit? Dum effusam gaudio Orestes continet, ne vultus hilaritas indicio inimicis sit, paedagogus viduam praesidio Clytaemnestram nullo opprimi negotio posse, nunciat. Intrans in domum Orestem atque Pyladem precibus ad Apollinem missis Electra prosequitur, atrocissima quaeque horrente choro.

Mox revertitur, reditum Aegisthi custoditura sonantque, dum colloquantur, Clytaemnestrae filii mucrone morientis ex aedibus clamores, displicentes choro, Electrae placentes.

Domo exeuntium in manus incidit rure adveniens Aegisthus, qui ubi laeto vultu, ut mortui Orestis reliquias conspiciat, propius se contulit, cognito Clytaemnestrae cadavere, nullo aut resistendi aut deprecandi periculo facto, intro se compelli patitur, ut, qui locus caesi sanguine Agamemnonis pollutus erat, is suum sanguinem hauriret. Extrema chorus, fausta regibus precans, occupavit.

His enarratis Electrae Euripideae iungatur descriptio, ut uno quasi obtutu comprehendentibus duas fabulas et univcrse et singillatim contendere liceat.

Euripidis Electrae explicatio.

Prologi vicibus agricola quidam fungitur, haud ignobili loco ortus, sed quem rei familiaris premant angustiae. Huic Electram collocaverat Aegisthus, ne regia sibi metuenda progenies foret. Is, quae gesta ab Agamemnonis in Troiam navigatione ad necem eius usque sint, refert; tum de Oreste ab Agamemnonis paedagogo addit servato, deinde de Electra sibi in matrimonium data, cuius virginitati, claros maiores reveritus, pepercerit.

Haec enarrantem ex aedibus procedens Electra interpellat. Gestat in capite urnam, aquam ex fonte petitura, non quod necessitas servile opus iniunxerit, sed quo manifestius Aegisthi appareat importunitas, matrisque ignava turpitude. Deprecante marito, ne indignis sui generis nobilitate muneribus fungatur, vitae labores una cum ipso, qui amice aerumnis suis medeatur, ut tolerare licitum sit, blande rogat. Ille vero, ut agrum exerceat aratro, abit, Electra ad fontem pergente.

Interim colloquens cum Pylade in medium prodit Orestes, qui cum divinitus immissum, ut sua manu supplicium sumat, se venisse dicat, noctuque iam ad tumulum patris inferias fudisse, hostiamque mactasse, sororem, cuius tristissimam sortem non ignorat, se conventurum, ut ultionis fiat adiutrix, declarat. Rediens a fonte Electra obviam iis fit. Illi servam esse rati, lente considunt, si forte quid negotio suo opportunum audiant. Conquerentem de tristi sua patrisque interemti sorte deque exsilio fratris chorus virginum argivarum a luctu avertere conatur. Nullo solatio se refici patitur, cum subito tanquam ex insidiis Orestes et Pylades consurgunt. Virgo timore percussa, ne moriatur, timide rogat. Orestes de fratre nuntiatum se venisse respondet. Jam secure in sermonem se dante Electra, primum de ipsius vita ac fortuna quaerit, et ametne fratrem; tum comperto, mulieres adesse amicas, rogare pergit, qua via, si veniat Orestes, interfectores ulciscatur. Audendum aliquid esse, se auxilio paratam, respondet; indignum videri, si Orestes, nobili stirpe

oriundus ac iuventute florens, unum horreret hominem, cum nobilissimam urbem pater diruisset. Reversus ex agro *Αἰτωπυῶς* hospites liberaliter, ut intrent, invitat, quod ansam Oresti praebet, de humilium nobiliumque saepenumero vivendi contraria opibus ratione disserendi. Postquam in domum iuvenes se contulerunt, agricolam Electra ad senem Agamemnonis paedagogum, qui extra urbis moenia gregibus praest, mittit, lautas epulas de suo apparare iussurum, cum ipsi egestate, quominus digne hospites excipiant, prohibeantur. Chorus, in orchestra relictus, navium mentionem facit Troiam vectarum, ducisque ceteros virtute praestantis Achilles, cuius adiecta clypei descriptione, Clytaemnestram, quod talium virorum principem interfecerit, brevi sanguinis sui rivis luituram esse vaticinatur. Celeriter, quamvis senio tardus, paedagogus adest, cibaria, coronas, vinum apportans, sed lacrymis super genas manantibus. Quaerenti, quid lugeat, Electrae, iter ad tumulum regis flectentem, ut vini partem effunderet, victimam ibi se conspexisse respondet, flavosque cincinnos, quod clam presentis indicium sibi Orestis videri. Senex, cum quam coniecturam e crinium vestigiorumque cum Electrae similitudine capit, eam idoneis argumentis virgo refellat, non minus quae de veste alterius utrius se pollicetur probaturum, hospites conveniendi potestatem impetrat, qui commodum foris procedunt. Cicatrice quadam ad supercilium Orestem agnoscit, quo facto ille non dubitat, quin se filium Agamemnonis esse confiteatur. Vix gaudium novum delibant, cum, qua via adversus inimicos grassandum sit, e servo quaeritur. Qui cum necandum manu forti Aegisthum censeat, pergere in vicinum agrum iubet, quo, servorum tantum manu stipatus, ad boves nymphis mactandas rex se contulerit. Spem esse, ut praetereuntes ad epulum Aegisthus vocet; facile tum opera trucidari posse. Aegistho insidiantibus illis, caedem matris se apparatus Electra pollicetur, simulato partu in domum pelliciendae consilio inito. Sic partibus divisis, postquam piis precibus deorum fidem invocarunt, Orestes ut Aegisthum conveniat, Electra in domum, discedunt. Mulieres, tanquam in vigilia, militum instar, stantes, fabulam de agno aureo, deque dolosis Thyestae fraudibus narrant. Clamorem audire sibi visae Electram vocant, cui et ipsi e longinquo truces inconditaeque voces obstrepunt.

Dum haesitant, nesciae, quid rei sit, vicerit occubueritne Orestes, nuncius victoriae advolans, cuncta edisserit. Amici redeunt, sequuntur

ministri, obtruncati cadaver Aegisthi portantes. Venia ab Oreste facta, quanquam initio, ne mortuos increpare nefas sit, veretur, Aegisthum Electra alloquitur. Cum quae nefarie commisit, ei exprobraverit, tum propter tristem, sceleris mercedem misereandum esse dicit, ut qui turpissimae mulieris servus factus in contemptum et odium apud omnes incurrisset.

Corpore Aegisthi in aedes abdito, Clytaemnestra curru, ornamentis regis nitens, advehitur. Orestem, cui matrem necare in religionem venit, quanquam Apollo iusserat, ne parentem prodat, hortata, ad perpetrandum facinus impium Electra instigat. Dira necessitate coactus intrat. Non multo post captivarum mulierum troicarum ope, spreto Electrae officio, in terram regina descendit. Filiae vitam indignam lugenti in Agamemnonem culpam cadere respondet, qui optimo iure caesus esset. Speciosiora quam veriora esse, quae cum Agamemnonem accusandi, tum sui defendendi causa mater dixisset, accepta obmovendi, si quid habeat, potestate, tam luculenter puella demonstrat, ut ad poenitendum, nihil repugnans, illa se demittat. Tum, ut pro felici Electrae partu sacrificet, in aedes intrat. Ne liberi matrem trucident, flebili prece clamantem misericordia plenae mulieres adiunt, provolatque Furiis agitatus Orestes, quem materno cruore fumantem incassum soror consolatur.

Liberis nunc impietatis se accusantibus, modo cum tristem matris, tum suam ipsorum fortunam deplorantibus, en, de coelo delabentes adsunt solatio Dioscuri, cognata numina. Ut postquam Electram Pyladi collocarit, Argis relictis, cum urbem intrare ei non fas sit, Athenas Orestes commigret, imperant, iudicium Areopagi expertum, quo liberatus ad Alphei ripas urbem, de suo nomine appellandam, condat. A diis ita ministerio suo defunctis chorus et Orestes cum Electra, quidni tam dira facinora, ut dii, prohibuerint, quaerentes, fati necessitatem saeviusse docentur. Tandem postquam dolori indulserunt, discedunt, Electra cum Pylade in agrum Phocensium, Orestes Athenas, Dioscuris mare Siculum, ut castorum hominum, fluctibus iactorum, custodiam agant, petentibus.

Comparatio fabularum.

His, quantum intelligentia rei tulit, coartatis, nihil obstat, quin cognomines illustrissimorum poetarum tragoedias, praecipuas res notando et

contendendo, comparare inter se experiamur. De argumenti ad pangen-
dam tragoediam opportunitate nemo ambigit, cui, quae pridem disserui,
probata fuerint. Videndum est igitur, utrius, cum e communi fonte hau-
serint, potior in eiusdem fabulae constitutione artem esse contendamus.
Quod si prior in lucem Sophoclis prodierat Electra, consentaneum est,
Euripidem opus difficilius affectasse. Quid vero in fabula adornanda ab
altero alter differat, si personae prius consideratae fuerint, ultro patebit.

Ut apud Aeschylum, ita apud Sophoclem et Euripidem, Orestes, Ele-
ctra, Clytaemnestra locum principem obtinent, chorus mulieribus argivis
continetur. Sed de his infra dicetur. Aegisthū, quem Aeschylus brevi
ante necem, pauca verba facientem, producit, in extrema fabulae parte
Sophocles posuit, suave delenimentum animorum crudeli Clytaemnestrae
nece adhuc rigentium. Cum enim laetandum sit, si scelestum claudicans
tandem poena assequatur, tum cavillatio mutuae irrisionis plena tanto con-
dita lepore est, ut de dramate satyrico cogitare subeat, quo defessae tra-
goediarum sublimitate mentes relaxari ad hilaritatem solebant. Egregiam
mehercules fabulae conclusionem! Euripides nomen tantum Aegisthi, quo-
que modo obtruncatus sit, tradit. Pylades apud ambo *κωφὸν πρόσωπον*
est, Aeschylum non imitatos, qui sub finem, postquam altum silentium te-
nuit, pauca loquentem fecit, scilicet ne sine lingua natus crederetur.
Paedagogum ambo, sed parum consentienter, finxerunt. Sophocles, id
quod propius ad veritatem accedit, cum Oreste demum revertentem facit.
Vix enim credibile est, servum, qui Orestem, vindicem futurum, caedi
subtraxisset, redire in patriam ausum fuisse. Quotus igitur quisque pro-
babit, quod Euripides paedagogum in vicinia urbis haud inopem securum-
que vitam tolerare commentus est? Quid, quod Sophocli, ita re consti-
tuta, cui prologi partes demandaret, non haesitandum erat, cum nihil
aptius videri posset, quam paedagogum reducto Oresti totam regionem
quasi digito intento monstrare? Adde, quod consilio et fortitudine magni
ad opus feliciter expediendum momenti est, cum Euripidis paedagogus,
postquam indicia suspicionem moverunt, Orestem cicatrice cognitum con-
fiteri, qui sit, cogat, nulloque amplius merito excellat, quam quod per-
suadet invenibus, ut Aegisthū in agris sacrificantem opprimant.

Cum de prologo dixerimus, operae pretium est, oculos ad Euripidem
convertere. Is, quo vehementius indignitas rei omnes commoveret, agri-

colae, haud quidem ignobili, sed egeno, Electram ab Aegistho collocatam finxit, ne quando nobili progenie ad vindictam emergeret; hunc vero, claros maiores calamitatemque Electrae reveritum, virgini pepercisse. Quod commentum haud scio an Orientis potius quam Graeciae instituta redoleat, si Mandanes similiumque exemplorum quis recordetur. Nulli temere haec inventio arriserit!

Huic igitur *Ἀπονογγῶ*, satis frigido homini, nihilque ad actionis progressum facienti, praefandi munus detulit; sed continentia, qua Electrae pepercit, nonnullaque sapienter dicta — his vero *σκηνῆς φιλόσοφον* scatere, ne admonito quidem opus est — haud prorsus intolerabilem reddunt.

Jam vero de Electris disserendi locus appropinquavit. Volubilem et inconstantem in affectibus mulierum naturam reputanti mihi, Euripides vere, Sophocles divine expressisse Electram videtur. Nam ille feminam non vulgarem, hic omnibus antecellentem finxit. Quid? Si utriusque sortem consideramus, utrum tristius putamus, domo paterna eiectam, ignobili matrimonio deprimi, an in domo paterna retentam, munera servilia obire invisorumque percussorum adspectum et ludibria perpeti? Illic indignitas nos commovet, hic onus vitae, nullo pacto ferendum, misericordia percellit; illic metu vacamus, quoniam non est, quod horreamus, hic metus nos angit, ne virgo pertinax odium prae se ferendo ad saevitiae immanitatem inimicos instiget. Nonne quotidie vulnus Electrae Sophocleae refricatur, ut ad cicatricem coire nequeat, cum Euripidis procul a turpitudinis saevitiaeque theatro dolori minus minusque urenti indulgeat? Quantam nihilo secius illius in malis tolerandis constantiam! Sed quid constantiam dico? Quantam fortitudinem, cum ipsa, postquam fratris morte spes ultima salutis evanuit, ultionem suscipere non detrectet! Digniora quenuquam loqui posse, quam quae lugens, quae gaudens, quae ira et contentu effervescens Sophoclis Electra loquitur? Non tamen terminos sexui femineo circumdatos excedit, robore tantum ac nervis animi cunctas superat. Quam venuste impavidam Electrae fortitudinem Chrysothemidis, quasi tremantis hinnulei, oppositione poeta illustravit! Multo infirmiore Euripidis Electram puto, quippe quae nec tam alte sentit et periculi timidior est. Nihil propalam audet, fraudi confidit. Non tamen, quod doli laqueis matrem irretit, vitupero; sed quod Aegistho interemto illudit. Hoc mea sententia nec fortiter facit, nec muliebriter!

Orestem ambo poëtae, ut rei conditio flagitat, commenti sunt, ultionis avidum, Aegistho quam Clytaemnestrae infensiolem, matrem occidere paventem, modo quod Euripides suum Furiis agit, quod cum Aeschylum imitatus finxerit, Apollinis maiestatem non, ut ille, inviolatam servavit. Castorem et Pollucem ciet, qui Jovis fatique iussa nuntiando saevas turbas componant. Necessariusne fuerit deus, quem ex machina dicunt, iniudicatum relinquo, Horatii verba:

„Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit“

memorasse contentus. Verum si alio modo fabulam constituere Euripidi libuisset, haec necessitas, quod haud dubie praestat, effugi facile poterat. Neque enim τὴν ἀπὸ μηχανῆς λύσιν magnopere tragoedia dignam esse, libenter Graecis assentimur.

Clytaemnestrae apud Sophoclem superbiolem, quam apud Euripidem ferociam, sicut minus magnificum ornatum laudo; nam si ira et cupidine plecta ultra feminam egerat, ne a se ipsa descivisse videretur, in audaci temeritate perseverare, non ad poenitendum delabi decebat.

Communis utriusque tragoediae laus est ἀναγνώρισις cum περιπέτειᾳ coniuncta, modo quod Euripides non optimum ἀναγνωρίσεως genus adhibuit, Sophocle, contemptis signis, ita instituite, ut Orestes ipse se sorori prodatur. Haud mediocre autem discrimen in eo deprehenditur, quod Euripides Clytaemnestram post Aegisthum, Sophocles ante trucidat. Utri in hac re primas deferre conveniat, non dubium est, si veram in superioribus sententiam proposui.

Sed ut iam perorem, cum fieri posse non infitior, ut multa et satis forsitan ad comparationem gravia aut non attulerim, aut ne viderim quidem, tum id constare arbitror, et in conformandis personarum moribus, et in ceterarum huius fabulae partium tractatione, vix secundum a Sophocle Euripidem haberi posse.

Verbesserungen.

- | | |
|--|--|
| S. 1 Z. 6 lies antiquae für antiqua. | S. 7 Z. 10 lies componant f. componat. |
| Z. 27 - gravare nolo f. gravarendo
und, hinter nolo statt hinter praeconio. | S. 14 Z. 26 - facili f. facile. |
| S. 2 Z. 26 lies zai f. zai. | S. 15 Z. 4 - miserandum f. miserendum. |
| S. 4 Z. 20 - dolor f. dolus. | Z. 18 - audiunt f. adiunt. |

